

sententia, quedam pertinentia ad *personalia* &c. et continet *Quaestiones* 20. *Quodlibetum* VI. tantum 9. VII. vero non nisi 1.

II. fol. 21. praemisso Elencho sequitur *Bonaventura in Librum II. Sententiarum* hoc initio: *Solummodo hoc inveni, quod deus fecit hominem rectum* &c. prout extat *Opp. T. IV. Lugd. 1668.* f. et a nobis non semel relatus est.

III. fol. 214. *Sex Principia* siue *Prolusiones* cum in expositionem s. *Scripturae*, tum *Magistri Sententiarum*, quarum prima ἀνεφαλος, reliquae nullo Autore. Additur ad calcem: *Iste liber est emptus in quinta feria Post Egidij Anno Domini M° CCCC° 32°.* 3. *Floren.*

DLXXVII.

U. 685 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 244. f. per duas columnas luculente scriptus, coloribus distinctus, et a *Thoma Hasebachio* quondam supremis tabulis relictus *Collegio ducali wienne apud fratres predicatores*, exhibet, ut e calce adsumo, *Questiones VII. Quodlibet magistri Henrici de Gandauo Archidiaconi Tornac. disputatas in scolis suis et determinatas ab ipso.* Addit calx *Quodlibeti III. Anno domini M°. CC°. LXXVIII. in pascha. Parisiis docuisse Henricum Goedhals, seu Bonicollium, dictum Doctorem Solennem, defunctumque a. 1293.* dixi hoc *Vol.* dum ex ejus *Quodlibetis* Excerpta referrem. Hic vero integra habentur, adjuncto ad

cujusvis finem *Quaestorum* Indice. *Quaestita* porro in uniuersum de Deo et Creaturis agunt, disputando tamen fere ad omnia Religionis et Morum Capita deducuntur. Typis *Parisinis* a. 1518. et *Venetis* a. 1613. f. extare *Quodlibeta* nostra Autor est *Fabricius* in *Bibl. med. Lat.* et *Foppenius* in *Bibl. Belg.* mihi tamen neutri ad manum sunt.

DLXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 626 XIV. Folior. 198. f. maj. per duas columnas nitide, sed multis uocum compendiis exaratus, coloribus illustratus et fronte picturata, cujus prima litera I. Virum habitu *Dominicano*, quem ipsum S. Fundatorem puto, dextra liliu, sinistra librum praeferentem, leonique insistentem exhibet, olim Collegii S. J. *Viennens.* completitur VII. *Quodlibeta* Theologica, id est *Quaestiones pro et contra* disputatas, quae quondam ad ostentanda magis ingenia, quam veram utilitatem frequentes erant. Rubrica sic habet: *Incipit primum quodlibet venerabilis patris fratris Heruei (Britonis) Ordinis fratrum predicatorum qui fuit Magister in theologia et postea magister (XIV.) totius ordinis fratrum predicatorum, quod fecit scribi Frater Johannes de discowe.* Initium est: *In nostro quolibet querebatur unum commune deo et creaturis intellectualibus* &c. Ita sequuntur et reliqua III. *majora* Nostri *Quodlibeta*, prout se excipiunt in *Edit. Veneta*

ra per Raynald. de Novimagio 1486. f. Praeferunt etiam ipsa S. Dominicum, et singulis subnotatur

minio, Bononiae a. 1326. descripta fuisse. At vero ad calcem Ul-
timi majoribus velis:

Hoc opus exegi christe memento mei.

Anno domini M°. CCC°. XXVI°. Sequenti die in crucis exaltacione. Et rubro: **Expliciunt** Quatuor quodlibet Venerabilis patris fratris Heruei Ordinis fratrum predicatorum de prouincia francie, qui fuit &c. ut supra, que fecit parissus Deus habeat animam suam. Et ista fecit scribi Frater Johannes de dyscove (an ex antiqua Stirpe de Diefkau?) eiusdem ordinis de prouincia Saxonie. Receptus in conuentu Hallensi. Anno domini M°. CCC°. XXVI. quicumque sibi abstulerit anathema sit. Duo ex his Quodlibetis jam alio Codice relata sunt. De autore Hervaeo Natali Britone adi Scriptores Ord. T. I. p. 533.

II. fol. 114. Incipit primum quodlibet Reuerendi patris fratris Henrici de Lubecke ordinis fratrum predicatorum de prouincia Saxonie quod fecit scribi frater Johannes de dyscove. Et quidem eodem loco et anno, ut saepius deinceps repetitur; sunt enim III. Henrici hujus Quodlibeta, quorum unum solum e Matth. Dressero indicare novit Gesneri Bibliotheca, neque plura ipsi Ordinis Bibliothecarii comperta habuerunt, ut T. I. p. 590. patet. Primum, cujus prima Litera Scholam Dominicanam depictam refert, quodam gaudet Prooemio, quod init: *Questiones quae in disputatione de*

quolibet possunt hoc modo ordinari secundum scientias ad quas pertinent. Quia quedam erant de philosophia naturali, Quedam de medicina. Quedam de astronomia. Quedam de metaphysica. Quedam de theologia &c. Non putem, quamquam nec id sine exemplo, tam diversas Quaestiones ab uno eodemque Viro publice tractatas fuisse, sed theologicas ad nostrum pertinuisse arbitror. Primae igitur initium: *Querebatur primo. supposito quod relatio constituat et distinguat, Vtrum in aliquo priori constituat quam distinguat, vel e contra. &c. Initium Quodlibeti secundi: Querebantur quedam de deo. Quedam de creaturis. De deo quedam querebantur secundum se. Quedam in ordine ad creaturas &c. Tertii: Questiones in hoc quolibet posite hoc modo sunt ad inuicem ordinate. licet secundum illum ordinem non sunt scripte &c. — Prima de absoluta entitate dei &c. Quodvis Quodlibetum in Titulos distributum est, quorum Elenchus ad calcem adscriptus docet, Teutonem nostrum acumine ingenii et scientiae ubertate nulli Coaeuorum concedere. Ast ubinam is docuit? Codex in haec definit: *In isto uolumine continentur 4. quolibet Magistri Heruei et tria fratris Hinrici de Lubecke Ord. predicatorum et sunt fratris Johannis de**

1299

C O D I C E S

1300

Dyscove eiusdem Ord. que fecit scribi Bononie in Anno domini M^o CCC. XXVI^o. quicumque sibi abstulerit anathema sit. Henricum an. 1336. etiam num in vivis egisse probat ejus electio in Vicarium gen. suae Provinciae Brugis in Capitulo gen. illo anno facta, id quod solum de eo notant Ordinis Bibliothecarii.

DLXXIX.

U. 689 Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 167. f. per duas columnas caractere luculento exaratus, coloribus distinctus, et legatus olim Collegio ducali Wienne apud Fratres Predicatores ab Jodoco Weiler de Hailprunna Theol. Prof. et D. Stephani Canonico sequentia Scholastica complectitur: I. *Quodlibet Magistri Jacobi De Esculo Ordinis Minorum*. Orditur ille: *Quia teste beato Jo. Apoc. 1. c. deus est principium et finis omnium. s. alfa et o. idcirco oratione premissa deprecabor dominum &c. tractatque Quaestiones XVI. quarum Tituli ad calcem adscripti sunt, et quarum prima est: Vtrum simplicitas diuine nature compaciatur secum aliquam distinctionem ex natura rei preuiam distinctioni personarum. De hoc Jacobo Esculano, sive Asculano agunt Possevinus in Apparatu sacro, Waddingus in Scriptt. Ord. Fabricius in Bibl. med. Lat. Mazzuchellius in Scritt. d'Italia Vol. I. P. 2. unus, ut fit, ex altero; atque inde error etiam propagatus est, vixisse illum circa an. 1464.*

cui manifeste Codex noster Seculo integro vetustior contradicit. Ex hoc porro errore factum puto, quod Waddingus Jacobum nostrum cum Jacobo Piceno, sive de Marchia ὁμοχωρ confundat, quem a. 1476. excessisse facile credo. Ceterum *Quodlibet* scripsisse hactenus ἀνεκδοτον omnes conveniunt, idque teste Mazzuchellio etiam in Patavina D. Antonii Bibliotheca servatur.

II. fol. 33. praevio *Quaestionum XXI. Elencho* sequitur *Quodlibet Job. Duns*, sive Scoti O. M. Doctoris *Subtilis*, de quo saepius dictum est. Ejus initium est: *Cun-De res difficiles. ait salomon eccles. 1. et cur intelligat eas esse difficiles subdit &c. Finis: Per hoc solute sunt rationes*, ubi in edit. Opp. omn. Lugd. 1639. T. XII. p. 544. f. legitur: *Et sic patet ad rationes. Clausula est: Explicit quodlibet magistri Johannis scoti de ordine fratrum minorum. Quaestiones hae Quodlibetales, quas Waddingus editor in Praef. T. cit. Opus pretiosissimum et medullam Doctrinae Scoti vocat, mature typis exceptae sunt, ut vel mihi Editio per Albert. Stendal 1474. et Venetae 1481. et 97. f. adjaceant.*

III. fol. 97. *Quodlibet Alexandri. Alensem* putares, et ita quidem scriptum erat in fol. Codici praevio: *Quodlibet Alexandri de Hales*; verum peritior Manus superinduxit: *de Alexandria*. Habemus igitur rarissimas *Quaestiones Quodlibetales Alexandri* dicti a loco natali *de Alexandria*, electi a.

1313.